

### III.

# NEOVIDENSIS

Nro. 85. (*Neovidensis* 1806. Nro. 79.)

---

*Ex Campis Elysiis*  
*Colloquium Politicum*  
*ita functorum.*

---

Elysium. -- Meum. -- Die Veneris 17. Octobr. 1806. (Neov. 30. Sept.)

---

Anglica gens,  
Optima flens,  
Pessima ridens.

*Elvi. de indole Britt.*

---

Colloquentes umbrae:

*Pittius, et Foxius.*

*Pittius.* O mea patria! quid video? —  
excendit ex cymba Charontis; ille ipse est.  
Jam etiam hic resistit usitato naulo — O per-  
petuam oppositionem!

*Foxius.* Hic in campis Elysiis viget vera  
species exactionis juxta systema Pittianum.  
Ferme crediderim, eam ab illo ad Charon-  
tem, vel ad illum a Charonte demigrasse.

*Pittius.* Salveto Foxi, amicum optime!

*Foxius.* Superi! Prima, quae mihi Ely-  
ium ingredienti occurrit umbra, est Pittius.

*Pittius.* Nos nobis in mundo superiore  
semper adversabamur. Intellecta tua morte,  
volui primus adesse. qui te hic salutaret.

*Foxius.* Grates maximas pro mei memo-  
ria. (ruunt in amplexus mutuos) Ego puta-  
rem —

*Pittius.* Hic omnia oblivioni tradita sunt : Ministerialis , et Oppositionalis factio. Lubet sincere , ex animo confabulari. Estne jam confecta pax cum Gallia ?

*Foxius.* Mira interrogatio ; putasne id , quod tu pluribus annis perturbasti , posse intra paucos menses in ordinem redigi ? Ut nunc res se habent , quaelibet pax sapit tantum inducias ; has ego orsus sum , non tamen perfeci.

*Pittius.* Novi aspectus in continente — Bellum contra Russiam , — quod mihi summo opere placet — etiam contra Borussiam. Hoc tu equidem ambabus ulnis fueris amplexus.

*Foxius.* Nosti meam diffidentiam erga Borussiam politicam. Interim bellum contra Borussiam subministravit mihi occasionem tractatus in longum prorogandi. Lauderdaleus versatur adhuc in argumento pacis. Ego existimo propediem nos audituros exitum belli in continente , qui deinde optatam adferet nostro tractatui conversionem. Quid enim foret , etiamsi nunc res ex sententia non procederet ? non estne hoc postremum continentis tentamentum ? unde postea incipiendum ? Si bellum a principio revolutionis expendam , torqueor cogitatione , te tuo proposito , continentem contra Galliam armandi , dedisse nationi gallicae ansam , suas vires , et militare ingenium explicandi , provehendique. Mansisset Anglia tempore revolutionis in statu defensionis adversus Galliam , etiam gentes in continente nihil hostilitatis suscepissent ; alium tunc nacta fuisset revolutio exitum , et alia rerum facies prodidisset. Hodiernum rerum statu mtu produxisti.

*Pittius.* Continentem separare ab Anglia dilecte Foxi ! est minime politica oppositio. Continens debet Angliam conservare , et ad

ejus defensionem concurrere; Hoc est axioma Angliae politicae. Probe memini tristis illius epochae, qua tu cum Lordio North publicis negotiis praeuisti; tunc quidem mari de hostibus nostris victoriam reportavimus, attamen — America nobis erepta est. Lordius North nullam potuit in Continente conflare armorum societatem, quae sola valuisset vires Galliae dividere, nosque ab interitu vindicare. Fridericus unicus Rex Borussiae, et Josephus II. unanimi consensu statuerunt se non miscere in bellum maritimum, quod nimirum gentes maritimae in gravia soleant Continentem pertrahere bella, et deinde pacem pro suo arbitrio dictare. Quo facto magna, sed nobis perniciosa veritas detecta est. Creatus sum Minister, praevidi Galliae politicam eo tendere, ut nos aequae ex Indii exturbet, uti ex America. Quorsum tunc Anglia evasisset? Continens insistebat systemati Friderici, et Iosephi, ut nobismet ipsis relinquamur, nolabant ob nostram commercii felicitatem ad arma descendere, quid erat facto opus? Dilecte Foxi! in ancipiti versabamur periculo, parum aberat, ne nostram Peruviam, Indiam orientalem, uti Americam, amittamus. Hyder Aly, et deinde Tipu Saib, Hollandia, Hispania — quantae oppositiones! Perpende haec omnia et fateberis: — per solam gallicam rerum conversionem nos esse liberatos.

*Foxius.* Fere in animum induxerim, eam a te esse excitatam. Intelligo, quid velis, sed nolo me immittere in arcana tuorum negotiorum. Non expedit semper, ut veritas palam fiat.

*Pittius.* Revolutio nobis iterum restituit Continentem, Gentes ad nos recurrerunt, in quas nos aurum, et argentum profudimus, eorum enim arma adversus Galliam conversa pepererunt nobis inaeestimabile emolumentum

dominationem nostram in maribus firmandi, et more hactenus inaudito extendendi. Tipo Saib non existit amplius, Hispaniam, et Galliam non metuimus, Hollandorum colonias possidemus, ingens in India regnum est territorium Magnae Britanniae. Haec omnia acta sunt me Ministro. Tu mihi successisti, et suscepisti paratum jam laborem.

*Foxius.* Nullus dubito, te admissurum, ut hic quoque confugiam ad oppositionem. Non essem Anglus, si negarem, a te patriam nostram esse periculo exemptam, imo plus dicam, eam ad summum maritimae felicitatis culmen evectam. Verum ingens copia idearum animum meum occupat, quae mihi hanc extorquent quaestionem: Pro quanto tempore liberasti patriam? Quid? si Continens per imperiosa facta eo fuerit adducta, ut Galliae adhaereat, cum eadem nobis nostram felicitatem invidet, et imperium maris eripiat? Ego puto, hoc momentum temporis jam non longe distare. Tam audax, et gloriae cupida natio, qualis gallica est, paulo post aedificabit classes, pernavigabit maria, nobisque se parem faciet. Omnes orae maritimae sunt paratae ad ejus obsequia, unico fere nutu potest omnes nostras naves a Continente removere; quantus torrens tristium cogitationum de futuro pervadit mentem meam!

*Pittius.* Dilecte amice! pone metum; Non me latet, pacem cum Gallia, ut nunc est, nobis nullam adferre utilitatem, at prodesse, si spectetur ut induciae, interea enim licebit reparare vires.

*Foxius.* Unicam tantum adjiciam animadversionem: Tu Europam, et potissimum Angliam concitata revolutione, tuoque Ministerio in violentum coniecisti statum; tu vires Galliae per gloriosam resistantiam inflammasti, et contra tuam voluntatem, — ex incon-

siderantia, et mala rerum conciliatione ad florem perduxisti, ut nulla potentia Europae eas frangere amplius valeat; Tibi adscribendum est, sublatum esse aequilibrium, delicias veterum post pacem Vestphalicam educatorum Ministrorum, et usque dum restituatur, forte medio saeculo duraturas politicas velitationes. Tu quidem tempore, quo Gentes continenti sumptuosa gesserunt bella, res Anglicas egregie tuitus es, et ad tempus securas praestitisti; verum parte ex altera progressionem hostis indifferenti spectasti animo, unde pessima quaeque consequentur. Nihil dicam de debitis, quibus patria nostra premitur, et quibus tandem, quod jure merittissimo timeo, natio nostra opprimetur. Hae sunt meae oppositionis rationes, quae me in mundo superiore degentem excruciant. Tu interitum Angliae distulisti tantum — non vero sustulisti. Et ideo probabilius ultima tuam morientis erant verba: — O meam patriam!

*Pittius.* De hoc argumento loquimur alio tempore. Nunc adeamus magnos viros in hoc Anglicano hospitio; expectaris. (ambo discedunt.)

*Fragmentum Actorum Rhenani foederis.*

Parisiis 25. Septembr. Hodiernus Monitor dat sequens scriptum Suae Majestatis, Imperatoris, et Regis ad suam Eminentiam Principem, Primatem:

Mi Frater! Cum modus nostrarum communicationum tanquam Protectoris cum Imperantibus in congressu Francofurtano congregatis nondum sit determinatus, judicavimus nullum esse convenientiorem, quam praesentem Vestrae Eminentiae mittere, ut utriusque collegio significetur. Profecto quem alium potuissemus melius deligere, quam Princi-

pem, cujus sapientiae conceditum est, primum praeparare fundamentale statutum? Expectavissimus, ut hoc statutum a congressu definitum nobiscum fuisset communicatum, nisi contineret dispositiones, quae nostram personam concernunt. Hoc unum nos permovit, ut ipsi institueremus primam introductionem, qua nostra sensa, nostrasque observationes proponamus sapientiae foederatorum Principum.

Dum nos titulum Protectoris Rhenani foederis assumpsimus, id solum intendimus, ut illud jus salvum sit, quod jam a pluribus saeculis viguit. Assumpto illo, duplici nos obstrinximus officio; altero territorium foederis contra extraneas copias, et territorium uniuscujusque foederati contra aliorum molimina defendendi altero. Hae duae obligationes ad conservationem tendentes cordi nobis sunt, congrunt cum amicitia, cujus dare specimina membris foederis non destitimus. Verum hi sunt limites nostri muneris. Nulla nos volumus nobis arrogare jura, quae Germanicus Imperator, qua supremus feudorum dominus exercuit. Siquidem regimen populorum, nobis delatum nos totos occupet, non possumus sine inquietudine admittere, ut nostra officia augeantur; sicut enim non cupimus illa nobis attribui, quae Imperantes in suis provinciis agunt; ita etiam nolumus, ut illa mala nobis adscribantur, quae in iisdem ex mutatione rerum humanarum evenire possunt.

Interna Statuum negotia nihil ad nos attingunt. Principes Rhenani foederis sunt Imperantes, qui nullum supremum feudorum dominum habent, pro talibus eos agnovimus. Discussiones itaque, quae inter eorum subditos occurrere queunt, non possunt ad extranea tribunalia deduci. Comititia foederata sunt politicum, pacem proeurans iudicium. Cum

omnes Principes, qui ordines Imperii Germanici effecerant, pro independentibus suarum provinciarum Rectoribus recognoverimus, neminem possumus pro supremo eorum domino agnoscere. Non jura supremi feudorum domini nos jungunt cum Rhenano foedere, sed jura simplicis protectionis.

Majori conatu, quam foederati Principes, volumus eminentis nostrae potentiae facere usum, sed non ad restringenda jura eorum Majestatica, verum ad conservandam horum plenitudinem.

De caetero rogamus Deum, ut vos, mi Frater! in suum sanctum suscipiat patrocinium.

Datum in nostro Caesareo palatio ad Fanum S. Clodoaldi II. Septembr. 1806.

*Napoleon.*

---

### B I O G R A P H I A .

*Carolus Fox* natus 12. Januarii 1749., secundo genitus filius Henrici, primi Lordii Holland, studiis navavit operam in Academia Oxoniensi. Peragravit deinde, more Anglorum, diversas Europae provincias, atque domum redux factus est membrum Senatus Regni. Addixit se partibus Ministrorum, primamque orationem dixit contra celebrem Wilkesium. Paulo post nominatus est membrum collegii rei navalis, verum ob quaspiam dis-

sensiones hoc munere se abdicavit, et venit  
 ad aerarium publicum administrandum, sed  
 nec ista statio fuit ei diuturna, nam Lordius  
 North, primarius Minister, cum quo dissen-  
 tiebat, hoc munere eum decedere jussit. Ita-  
 que transiit ad factionem oppositionis, in qua  
 quam fuerit formidolosus Ministris, inter om-  
 nes constat, cum primis memoratu digni sunt  
 ejus sermones de bello Americano. Post a-  
 motum Lordium North iterum fuit susceptus  
 in Ministerium, ast mortuo Buckinghamo,  
 de provincia decessit. Iterum dein cum  
 Lordio North fuit Minister; sed brevi iterum  
 praeposuit huic muneri oppositionem, cui  
 longo tempore sub Ministerio Pittii, et Lor-  
 dii Sidmouth adhaesit. Post obitum Pittii su-  
 cepit dignitatem primi Ministri. Pacem op-  
 tabat constanter, sed mortuus est 13. Septem-  
 bris 1806., antequam concluderetur. Foxius  
 erat eloquentissimus oratorum; In juventute  
 se comebat, qui fervor in proveciore aetate  
 deferbuerat. Ejus quidem mores nequeunt in  
 exemplum proponi, attamen nullam commisit  
 actionem homine indignam. Simplicem, a-  
 pertam amavit veritatem humanitate plenus.  
 Multos usque ad mortem numeravit amicos.  
 Verbo: Foxius erat e praecipuis suae patriae  
 viris.